



Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

10. Eandem concordiam gratiæ & liberi arbitrij ad unguem docuerunt discipuli S. Augustini, & in primis latissimè & clarissimè S. Prosper.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13704

in bonis non est, quia liberata non est, videlicet à dilectione peccandi quæ impedit ne volendo verteretur in bonis, & opus bonum ex caelesti delectatione, ideoque propriâ voluntate operetur. Quæ sanè sicuti capitaliter adversantur indifferentiæ ad utrumlibet, ita determinationem potius voluntatis ad unum evidenter probant. Delectatio quippè non indifferentem facit voluntatem, sed indifferentiam ad alteram partem vehementissimè trahit.

Hinc est igitur, quod cum Iulianus ectriguel Pelagiani postularent mordicus ab Augustino, ut indifferentiam ad bonum & malum libero arbitrio ante gratiam concederet, quatenus peccare posset & non peccare, atque istâ ratione libertas arbitrij salva esse posset, mordicus è contrario sanctus Augustinus concedendum neget. Quod usque adeo ipse verum esse putat, ut oppositum velut errorem improbet, apertissimèque aliquoties tradat esse in hominibus peccandi necessitatem, & in istâ necessitate peccandi, non esse securitatem, conscientiam, quasi non esset peccati rea, voluntatem jam ita peccare ut non sit ei liberam à peccato absolvere, quod Adamo liberum fuit, nec tamen idcirco definere esse peccatû. Hæc

Vide lib. 3. de statu naturæ lapsæ à c. 2. usque ad 14. in fine panis 1000.

& hujusmodi apud Augustinum frequentissima sunt, & à nobis ex professo demonstrata, quibus propterea repetendis non est hic immorandum, ne lector nimiam prolixitate fatigetur. Ex quibus profecto omnibus, duo nisi me fallit, perspicue colliguntur. Primum verissimum esse quod initio proposueram: Pelagianos non alia de causa adversus Augustini & Ecclesiæ doctrinam tantos clamores exci-

asse, quibus liberum arbitrium sive per gratiam, sive per concupiscentiæ vim subverti & extingui querebantur, nisi quia ex utraque parte opus bonum & malum videbatur eis non ab ipso homine propriâ voluntate, sed homine nihil agente, ab alio per ipsum operante sive cogente fieri. Secundum non aliter Augustinum istas querimonias compefcuisse, quam ostendendo delirium cogitationem eorum, eo quod gratia efficeret, ut homo non instar lapidis, dormientis, aut supini iacentis, invitus, nolens, repugnansque traheretur ad bonum, sed propria voluntate vellet & faceret; ita videlicet ut si ante esset invitus, & nolens & repugnans gratiâ operante volens fieret, atque ita non nihil ageret, nec sine propria voluntate bonum operaretur. Eodem modo Augustinum tradere, quod non ut Iulianus dixerat, homo carnis necessitate peccare cogeretur, vel peccatum in homine alter perpetraret, sed quod concupiscentiæ delectatione mulcetur propriâ sua voluntate peccaret. Quæ conciliandi ratio in Aug. scriptis ita perspicua est rotisquæ frequentata, ac tantum silentium istius indifferentiæ contradictionis, tanquam libertati necessariæ, de qua nunc vehemens disceptatio est, ut ad salvandam arbitrij libertatem sub gratia nunquam eam vel semel adhibuerit, in universis suis adversus Pelagianos lucubrationibus. Ut merito suspicari aliquis posset, istam libertatis rationem, de qua tantoperè contenditur, esse meræ Philosophiæ fœtum, & à nullis antiquis gratiæ defensoribus, Augustino, Prospero, Fulgentio sub nomine libertatis arbitrij propugnatam, requisitam, agnitam fuisse.

C A P V T X.

Eandem concordiam gratiæ & liberi arbitrij ad vnguem docuerunt discipuli S. Aug. & in primis latissimè & clarissimè S. Prosper.

Quod ut uberius constare possit, operæ pretium est etiam ex S. Prospero, & Fulgentio, ceterisque PP. omnibus, qui hostibus gratiæ resisterunt, non alio quoque pacto Pelagianorum querelas de ubi versâ libertate cōpressisse, quam quo Magister eorum Aug. cōpescuerat. Quod quidem S. Prosper tantâ claritate, & inculcandi assiduitate præstitit, ut mirû sit, si quis auditis tantummodo verbis ejus, amplius de sensu sive Pelagianorum, liberum arbitrium destrui vi gratiæ causantium, sive S. Augustini dubitationem amovere, quæstionemque possit.

Nam in primis in Epist. ad Rufinum, quam defendendi S. August. causa, & explicandi sensus ejus, præcipue scripsit, cum de hostibus gratiæ graviter questus esset, quod scripta eius, quibus error Pelagianorum impugnetur, infamens, dicentes eum liberum arbitrium penitus submovere, tandem sub finem Epist. ad illam calumniam abstergendam veniens nimium verò inepidè, inquit, nimiumque inconsideratè ab adversariis dicitur, quod per hanc Dei gratiam libero Nihil RELINQUATUR arbitrio. Ecce adversantium querimonia, quod libero nihil relinquatur arbitrio hoc est, ut Aug. dicebat, quod sine voluntate

nostra per gratiam totum fieret. Quid verò ipse respondeat ad eorum ora obturanda porro videamus. Primo fatetur hoc in parvulis esse verum, In quibus, inquit, manifestissimè nullum opus, nullusque appetitus eorum voluntati existit. Deinde de majoribus ita subjicit: Si eam filiorum Dei partem que ad pietatis opera reservatur pro consideremus intuitu, nonne in eis non peremptam invenimus liberum arbitrium sed venatum? Et quomodo non peremptum, dic sodes, sancte Prosper, explica, an quatenus manet indifferens sub gratia ut velit & nolit, ut agat & non agat? Neutiquam, sed ex eo quo S. Aug. explicuit modo, quatenus gratia efficit ut liberum arbitrium aliquid agat, donatum ei ipsum velle & bene agere & perseverare: Quod utique cum solum esset sibi, permissum, non nisi in suam perniciem movebatur. Ipsum enim se excocaverat, & ipsum se illuminare non poterat. Nunc autem idem arbitrium conversum est non aversum, & donatum est ei aliter sapere, aliter agere. Et iterum uberius: Provide homo qui in libero arbitrio fuit malus, in ipso libero arbitrio factus est bonus: sed per se malus, per Deum bonus: qui eum ita in illum mitalem honore, alio initio reformavit, ut ei non solum culpâ male voluntatis & actionis remitteret, sed etiam BENE VELLE, BENE AGERE, ATQUE

Prosper in Epist. ad Rufinum non procul ab initio.

Ibidem, sub finem Epist.

Ibidem.

Ibidem.

ATQVE IN HIS PERMANERE DONARET. Ecce & hic non aliter liberum salvat arbitrium, nisi quia gratia sic operatur in ipso voluntatis arbitrio, ut non ipsum otiosum sit, ac nihil profursagat, sed ut ei velle & agere largiatur. Cui sensui conformiter tandem doctrinam sapius pœne in omnibus suis operibus tradit, ut in sententia 6. quam responsionibus ad Capitula Gallorum subjicit: Arbitrium hominis gratia Dei non abolet, sed adolet. & ab errore in viam revocat & reducit, ut quod sua libertate erat pravum, Spiritu Dei agente sit rectum, hoc est, per gratiam accipiat voluntatem, seu velle rectum. Sic enim seipsum explicat in ipsa responsione ad Capitulum 6. ex quo ista sententia explicata est: Cum in bonis voluntas sit intelligenda de gratia; in malis autem voluntas intelligenda sine gratia; quibus verbis declarabat falsum esse capitulum quod objecerat secundum Augustini sententia: Liberum arbitrium in homine nihil esse, & verum esse quod ipse replicauerat: Liberum arbitrium nihil esse vel non esse perperam dicitur. Et in libro quem eruditissimo carmine de ingratia exaravit, plenissime sensum querelæ Pelagianæ tradidit.

Ant. 6. post n. ad Cap. Gall.

Ant. Cap. Gall.

Capit. 6. Gall. in resp. ibid.

Lib. de ingrat. c. 16.

*Hic vanam in sano profertis corde querelam,
Omne opus arbitry sublatum vociferantes,
Currere currentium, si non & velle volentum est,
Nec vitij penam deberi, aut premia laudis,
Si vel naturam obstructam mala velle necesse est,
Vel nostro asseribi nequeunt bene gesta labori.
Numquid non eadem sapiunt eademq; perorant,
Vestri illi quorum vultus verba magistri?*

Pelagiani videlicet. Cui querelæ sic respondet, ut dicat, tam in malis quam in bonis nostram manere & agere aliquid voluntatem, & ideo non tolli liberum arbitrium:

Cap. 27.

*Manet ergo voluntas
Semper amans (id est, volens) aliquid quod se
ferat &c.*

Et manifestum iterum sub finem illius operis.

Cap. ult.

*Siquid enim velle gerimus, Domine auxiliante
Te gerimus, tu corda moves: tu vota petentis,
Qua dare vis, tribuis, servans largita, creansq;
De meritis merita, & cumulans tua dona coronis.
Non tamen hoc curam minus: studiumq; resolvit
Virtutum, aut opus ingenij torpere putandum est,
Quod bona sanctorum tua sunt, aut quicquid in illis
Aut sanum aut validum est, de te viget, ut videatur
NIL ACTURA HOMINIS, TE CUNCTA
GERENTE, VOLUNTAS*

Ecce & hic luculentè exprimit, hoc adversarios gratiæ veritos conquestosq; quod voluntas hominis nihil actura, sed prorsus extincta foret, si Deus cuncta gereret.

Simili planè modo declarat hoc ipsum in libris de vocatione gentium: Nec quia Spiritu Dei agitur; ideo se putet liberum arbitrium non habere: quod ne tunc quidem perdidit, quando diabolo voluntate se dedit, à quo iudicium voluntatis depravatum est. Quod ergo non interfectum est per vulnerentem; non tollitur per medentem. Virus sanatur, non natura remouetur. Nimirum nihil aliud agit, nisi ne voluntas qua volumus aut peccato, aut gra-

Lib. de vocat. gent. c. 3.

tiâ sublatâ credoretur, ut non nos, sed alius de nobis ageret. Sic enim utramq; partem declarat. Nam peccato non esse amissam voluntatem probat, quia à diabolo cum homo spoliaretur non voluntate, sed voluntatis sanitate privatus est, quia nec deivulsi ab innocentia statim posset, nisi voluntate peccaret. Quæ ergo natura erat bona, quâ sita facta est mala: & ille animi motus, qui nunquam potest sine ALIQUO esse AMORE, hoc est sine ALIQUA VOLUNTATE non perdidit appetitum, sed mutavit affectum. Spiritu quoq; Dei agente non perdidit liberum arbitrium ibidem probaverat, quia sic sanat vulnera sancti, ut quod in ipso agit, etiam PER IPSUM geratur. Hoc est non sine ipsius propria voluntate. Quod inferius explicat, quia transit animus de voluntate in voluntatem. Vnde in alio loco adhuc evidentius hoc exponens: Hanc abundantior gratiam ita credimus atq; experimur potentem ut nullo modo arbitremur VIOLENTAM, quod quicquid in sanandis hominibus agitur EX SOLA DEI VOLUNTATE PERAGATUR: Vnde copiose demonstrat, quod nihil virtutis sine consensu nostro voluntatis habeatur, & quod gratia preparat voluntatem, hoc est facit velle. Nam, inquit, virtus NOLENTIVM nulla est, nec potest asseri vel fidem vel spem vel charitatem eis inesse, quorum ab HIS BONIS CONSENSVS ALIENVS EST. Quid apertius desiderari potest quo percipiamus, non aliter liberum arbitrium incolume permanere, quam quia gratia non violenta est, ita ut opus bonum sine voluntate nostra, sine consensu nostro, non per nos, sed sola Dei voluntate peragatur?

Quæ quamvis manifestiora sint, quam ut ullius amplius declarationis indigeant, hoc ipsum tamen non abs re fuerit ex libro quem contra Collat. scripsit pate fieri. Nam in illo ex proposito, vim gratiæ & libertatis humanæ ponderat, & sapius quomodo illa sine huius præiudicio operetur, ostendit. Cum itaque Collator passim dicitaret in Collatione 13. quasi vim gratiæ commendare volens; quod Deus quosdam resistentes ac longe positos vocet invitofq; attraheret ad salutem; atq; hinc astrueret Pauli & Matthæi coactivam conversionem, Zachæi & latronis voluntariam, ut ita quod Pelagiani generaliter per gratiam auferri liberum arbitrium querebantur; hoc ipse in quibusdâ tantum fieri persuaderet, plurimis modis utrorumq; deliras suspiciones jugulat, & concordiam gratiæ & liberæ voluntatis tradit. Primum enim non procul ab initio libri, occurrere volens querelis adversantium, qui gratiam invitum nolentemq; cogere dicitabant; ita gratiam cum libera voluntate conciliat: Qui Deus vocatum ad filium trahit, non resistentem, invitumq; compellit, sed ex invito volentem facit, & quibuslibet modis infidelitatem resistentis inclinat, ut cor audientis obediendi delectatione generata, ibi surgat, ubi premebatur; ibi discat, ubi ignorabat, inde fidat, unde diffidebat; INDE VELIT VNDE NOLEBAT. Et nonnullis interpositis hoc ipsū expressius: Non est periculum liberi arbitry ex gratia Dei, nec VOLUNTAS AVERTITVR, cum in ipsa bene velle generatur. Nam si ideo non putanda est nostra, quia formatur, regitur, ordinatur, imbutur, spoliatur libertate filij Dei, perdunt vigorem rationalis animi, &

Lib. 5. 7.

Lib. 1. 6.

Lib. 6.

Lib. 2. de 70. cas. 2. 14.

Lib. 1. ult. Coll. 4.

Lib. 6. 13. c. 33.

Lib. 2. ult. Coll. 6. 6.

Lib. 6. 12.

omni voluntaria devotionis laude privantur, quibus
 datur: pueri sapientes. Et iterum inferius: Hac
 regula nulli hominum AVFERTVR VOLVNTAS, quia
 virtus gratis non hoc in voluntati operatur VT
 NON SINE, sed ut ex meli bono, & ex infidelibus sint
 fideles. Et multo post, cum Cassianus questus
 esset, homini non permitti liberum arbitrium, si
 nihil posset velle bonum, sed ei totum gratia
 largiretur, occurrit illi Prosper querimonia,
 quod homo nec ad principia salutis propria vir-
 tute emittatur; sed agit hoc, inquit, occulta & pe-
 tenti gratia Dei. Modum adijcit sine liberi arbi-
 trii lesiones, non ut iram hominem subigat, sed ut
 subiectionis cupidum faciat, nec ut ignoranter trahatur,
 sed ut intelligentem sequentemq; precedat. MANENS
 ENIM LIBERVM ARBITRIVM, quod utique cum
 ipso homine Deus candido, a vanitatibus & cupidita-
 tibus suis, in quas neglecta Deilege desunt, non a se-
 ipso, sed a Creatore misetur, ut quicquid in eo in me-
 litus reficitur, NON SINE ILLO SIT, quis sanatur, nec
 nisi ab illo qui medetur. Rursum in fine libri ca-
 pitalem querelam de prostrato per gratiam li-
 bero arbitrio refertans, explicans, refutans &
 gratiam cum libertate concilians: Non concur-
 bat nos, si peccatum incepta querimonia, qua libe-
 rum arbitrium causatur auferri, si & principia &
 procul & perseverantia in bonis usque finem Dei dona
 esse dicuntur: quoniam opitulationes divinae gratiae,
 stabilimenta sunt voluntati humanae. Hoc est, non au-
 ferunt, sed potius tribuunt ac stabiliunt liberum
 arbitrium: quod non aliter verum esse decla-
 rat, nisi quia volentes operamur, quicquid gra-
 tia praestante operamur. VOLENTES ORAMUS, &
 tamen vult Deus spiritum in corda nostra clementem
 Abba Pater. VOLENTES LOQVIMVR; & tamen
 si primum est quod loquimur, non sumus nos loquentes,
 sed Spiritus Patris nostri qui loquitur in nobis. VO-
 LENTES diligimus Deum & proximum; & tamen
 charitas ex Deo est. Hoc de fide, hoc de tolerantia
 passionum profitemur &c. Et quod liberum arbitrium
 naturaliter homini inditum maneat in natura, sed
 qualitate & conditione mutata per mediatorem Dei
 & hominum hominem Christum Iesum, qui ipsam vo-
 luntatem ab eo quod per se vellebat avertit, & in id
 quod ei bonum esset velle convertit &c. Quam con-
 ciliandae gratiae & liberae voluntatis methodum

etiam in Epist. ad Demetriadem virginem tra-
 dit: An forte verendum est ne liberum velle videat
 mur arbitrium, cum omnia per que precipitatur Deus,
 ad ipsum dicimus esse referenda? Probat autem
 quod non tollatur, operante enim Spiritu Dei
 juvatur arbitrium, non auferitur, & hoc agit
 gratia, ut non aliud quippiam, sed ipsi voluntas
 peccato corrupta, vanitatibus obrita, seductionibus cir-
 cumsepta, difficultatibus impedita, non remaneat in
 languoribus suis, sed per opera misericordis medici reva-
 lescat, ut videlicet ipsa velit bonum, quae ante
 volbat malum. Itaque cum declarasset, quod
 Dominus sua potentia in homine operatur, ut
 bonum operetur, subdit: Omnis is qui illuminatur
 mentem primum movet, alioquin quidem non po-
 test a PROPRIA HOMINIS VOLVNTATE: si qui-
 de nihil recte faciet, nisi quod VOLENS egerit, sed ut
 ad id quod aequum & utile est animi tendat intentio, de
 illius aeterna & immutabili voluntate in inspiratione
 concipiatur. Quam conciliandi utriusque ratio-
 nem planissima illustrat similitudine, quae ne-
 mini dubitationem aliquam de sensu concilia-
 tionis istius reliquam facit: Et sicut ante medici
 fit in oculis caligantibus, ut possint videre quod non vi-
 dent, nec tamen NON IPSORVM EST visio quam me-
 dicina conuulserit: ita in cordibus tardis & hebetibus
 per Spiritum S. acies obtusa reuigilatur, & de vero lu-
 mine tenebrosarum & desidentes lucerna lumen acci-
 piunt, NEC TAMEN NESI IPSARVM ERIT, quic-
 quid fulgoris acceperint. Quod de illo dilectionis
 igne coelitus misso, quo accenditur animus,
 statim explicat. Quae omnia perspicue sanè
 patefaciunt, nullam aliam in tot testimonijs
 concordiam gratiae & liberae voluntatis Pro-
 sperum tradere aut agnoscere: quando eam
 quae secundum Catholicam doctrinam vera legi-
 timaq; est, ex professo tradit, nisi illam ip-
 sissimam quam August. contra Pelagianos do-
 cuit, quatenus videlicet gratia non sola, neque
 Deus sua voluntate sola, sine voluntate no-
 stra bonum operatur, quasi hominem invitum
 reluctantemq; per violentiam cogeret, sed ita
 agere in libero arbitrio, ut nostra propria vo-
 luntate velimus, volenti & que operemur, ita ut
 nostra sit voluntas, non alterius, quia vir-
 tus nolentium nulla est.

CAPVT XI.

Item Sanctus Cyrillus Alexandrinus, Fulgentius & Petrus Diaconus.

N Eo alio modo gratiam cum libero
 arbitrio conciliandam praeavit S. Cy-
 rillus Alexandrinus, Augustino &
 Prospero coetaneus. Nam illa verba
 S. Ioannis tractans, Nemo potest venire ad me, nisi
 Pater qui misit me traxerit eum, quibus liberum
 arbitrium tolli videbatur, quemadmodum Pe-
 lagiani etiam contra Aug. vociferati fuerant,
 eodem profuso modo, ut August. eos refuta-
 verat, praecipue suspiciones istas hominum
 imbecillium, nec liquidè concordiam opera-
 tionis simultaneae penetrantium: Non quum di-
 cat, neminem posse ad se venire, nisi Pater traxerit eum,
 VI QVADAM COGI TRAHIQ; credentes, putandum

est, sed mentione, doctrinā, revelatione ineffabiliter
 facta. Quomodo & August. alibi loquitur, Aug. lib. de
 dum gratiam vocat doctrinam, quae alius & in-
 terius cum ineffabili suavitate infunditur. Et paulo
 post in eodem loco, eandem gratiae & liberae
 voluntatis cooperationem Cyrillus explicans: *Cyrill. ibid.*
 Vbi auditus, disciplina, doctrinā, adest, ibi fides NON VI,
 VI, sed persuasione oritur. Patrocimo igitur Dei Pa-
 tris, quod ex charitate dignis praestatur, NON VI
 Christum fideles agnoscunt. Et quare non vi? Per-
 gendo respondet: Non enim possumus secundum Ec-
 clesiam veritatisq; dogmata liberam potestatem hominis
 (quod liberum arbitrium appellamus) illo modo ne-
 gare.

Eandem